DE SOPHISTARUM SCHOLIS, QUAE SOCRATIS AETATE ATHENIS FLORUERUNT.

Si verum est, in historia philosophiae multa adhuc tenebris operta esse, de nulla aetate hoc magis valet, quam de ea, qua *Sophistae Athenis* floruerunt; quae res merito nobis mira accidere debet, reputantibus eos non solum floruisse, cum summum fastigium attigisset ingenium *Atheniensium* in variis artis doctrinarumque generibus, sed etiam uberrimum fontem ad eorum placita cognoscenda nobis patere in PLATONIS scriptis. Verum huius rei causa nobis in eo sita esse videtur, quod plurimi PLATONIS dialogos hoc unico consilio evolverint, ut ex iis cognoscant veram atque genuinam philosophi ipsius cogitandi philosophandique rationem, minus vero attenderint, PLATONEM in multis dialogis non suam adeo sententiam exponere voluisse, quam aequalium opiniones refutare aut acerbissima ironia perstringere. Quod fuisse scriptoris consilium, e multis dialogis patet, e. g. e *Gorgia*, *Menone*, *Protagora*, *Euthydemo*, aliis, in quibus omnibus potius redarguit perversas opiniones eorum, qui eo tempore sese profitebantur virtutis, eloquentiae et civitatis rite administrandae doctores, quam suam ipsius his de rebus sententiam exponit. Hinc factum, ut recentiores plerumque adeo aciem mentis intenderint in divinam illam philosophiam Platonicam, ut propter eam neglexerint opiniones eorum, quos refutat scriptor, aut cum ipso

auctore ita sese abripi passi sint, ut in opinionibus illis philosophiae Platonicae oppositis nihil sani et utilis sibi invenire posse putaverint.

Propterea de sophistis egregie meritus est GEEL V. Cl.[1], qui, seposita praeiudicata ista opinione, cum alios scriptores, tum PLATONEM eo consilio legit, ut ex iis genuinam sophistarum doctrinam erueret, et saniorem de iis iudicandi rationem apud viros doctos induceret. Post quem Viri Cl. laborem via patefacta erat, qua alii ulterius inquirerent in singulorum sophistarum vitae fata et placita. De PROTAGORA, omnium sophistarum φιλοσοφωτάτῳ, id multi egerunt[2], de GORGIA scripsit FOSS[3], de PRODICO doctissime WELCKER, levissime HUMMEL[4], de ceteris quantum equidem scio, data opera nemo. Quorum opera cum praecipuorum sophistarum res in clariore iam luce positae sint, id tamen ad hunc usque diem desideratur, ut diversa eorum doctrina declaretur et breviter exponatur; ita ut primum distinguatur accurate, quid commmune habuerint, quo solenne illud nomen sophistarum acceperint: deinde rite explicetur, quid singulorum peculiare fuerit, et quosnam singuli auditores et discipulos habuerint. Sic quidem patebit, et alia alios via ingressos esse, et *scholas* exstitisse sophistarum. Eiusmodi demum discrimine invento licebit iudicium ferre et de loco, qui sophistis in historia philosophiae tribui debeat, et de eorum vi ad aequalium mores immutandos. Tunc enim tolletur error ille, quo quidquid de singulis sophistis memoriae traditum est, toti generi tribui solet.

Iam igitur primum videamus de eo quod omnibus omnino sophistis commune fuerit. — HEGEL[5] notam communem sophistarum sibi invenisse putat in perpetuo illo rerum fluctu, quo omnis veritas obiectiva tollitur, mera subiectiva unice relinquitur. Quod de PROTAGORA quidem valere, minime vero de ceteris sophistis, ulterior de eorum doctrina disquisitio sponte

---

[1]) *Historia critica Sophistarum.* Ultrai. 1823.

[2]) Vide praefationem *disquisitionis* meae *de* PROTAGORAE *vita et philosophia.*

[3]) *De* GORGIA *Leontino.*

[4]) Rh. Mus. f. Phil. PRODIKOS *von Keos, Vorgänger des* SOKRATES, 1833, p. 1 sqq., et 533 sqq.; HUMMEL, *quaestiones de* PRODICO *sophista*, Lugd. Bat. 1847.

[5]) *Vorl. über Gesch. d. Phil.* ed. 2*a*, vol. II. p. 5 sq.

docebit. HEGELIUM e recentioribus inprimis secutus est ZELLER[6]. — At, me iudice, elementum illud sophisticum non est quaerendum in *materie* ipsa, quam tractare solebant; haec enim apud alios sophistas alia erat; sed in *forma*, qua doctrinam suam aliis tradebant, et in eo, quod extremum omnes disciplina sua attingere studebant. Itaque omnibus communis fuit et acutissima dialectica et artificiosa illa rhetorica, qua de qualicumque re apte et eleganter disserere se posse profitebantur, cuius fastigium erat notum illud *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. Haec autem forma arctissime cohaerebat cum eo, quod extremum spectabant, quodque in eo versabatur, ut discipulos suos informarent ad vitam practicam et ad summos honores in republica capessendos; cui proposito in civitate, qualis erat *Atheniensium*, satis fieri vix videbatur posse, nisi qui facultate valeret, eloquentia sua civium animos deliniendi et subtiliter ex improviso de quacumque re disputandi. Hunc ad finem tot nobiles iuvenes sese tradebant sophistarum disciplinae iisque pro institutione grandem pecuniam solvebant; hanc ob formam tantam excitabant populi admirationem, simul vero ab eodem odio habebantur, tamquam homines, qui turpissima quaeque defendere cum scirent, mores antiquos et antiquam religionem perverterent[7].

At, ut monuimus, materia, quam sophistae hac forma et hunc in finem auditoribus tradebant, apud alios alia fuit. Quod discrimen si rite attendissent viri docti, qui de sophistis egerunt, in distributione variarum in arte sophistica partium tantos errores non commissisent, quantos deprehendimus apud SCHLEIERMACHERUM, RITTERUM, HERMANNUM, WENDTIUM, PETERSENUM, BRANDISIUM, alios. Horum omnium sententias recte refutavit et merito culpavit ZELLERUS[8]: in quo tamen illud reprehendo, quod aliorum operam evertens ipse nihil melioris notae doceat et quaestionem in medio relinquat, affirmans sophisticam artem natura sua nullam omnino distributionem admittere.

Nos autem iis innisi, quae modo disputavimus, sophistas in quatuor scholas — PROTAGORAE, PRODICI, HIPPIAE et GORGIAE —

6) *Die Philos. d. Griechen*, vol. I, p. 244 sqq.
7) Vid. PLAT. *Apol.* p. 18 C., 23 D.
8) l. l. p. 267 sqq.

distribuemus; quod non iniuria ita a nobis positum esse, ipsa breviter exposita horum sophistarum disciplina interna demonstrare conabimur.

DE PROTAGORAE SCHOLA,

SIVE DE SOPHISTIS QUORUM DISCIPLINA AD SENSUALISMUM ABSOLUTUM PERTINEBAT.

PROTAGORAS, ut videtur, atomistarum discipulus[9], horum materialismum ad sensualismum absolutum evexit, ita ut, cum DEMOCRITUS, a sensuum perceptione profectus, tamen praeter eam agnosceret sublimiorem mentis cognitionem, ille praesentes sensuum affectus unicum fontem cognitionis humanae haberet[10]. Unde sponte sequitur, omne veritatis criterium, quod sensus superet, tolli, vel potius hos praesentes sensuum affectus esse ipsum veritatis criterium. Ex quo efficitur, ut singuli homines id quod verum est sentiant et ipsa veritas sit mere subiectiva[11].

Hanc autem rationem de sensuum perceptione ita transferebat ad res politicas PROTAGORAS, ut poneret, hominem extra societatem humanam vivere non posse; ut autem societas humana exsistat opus esse legibus; nam singulos quidem homines recte scire, quid sit iustum, quid iniustum, sed omnino opus esse, ut omnes cives idem iustum, tamquam normam publica auctoritate constitutam, agnoscant.

Iam rhetoricae et dialecticae munus in eo, ut idem aiebat, versatur, non ut homines doceantur quid sit verum, cum omnes aeque vere sentiant, sed ut hominibus persuadeatur, id

---

9) Vid. disqu. mea p. 30 sqq., p. 187 sqq.
10) Vid. disqu. mea p. 193 sq. Cf. p. 89 sqq.
11) Ibid. p. 98 sqq.
12) Ibid. p. 122, p. 143; Cf. p. 149 sq.

ut agant, quod simul sit utile (τὸ συμφέρον) [13]; hoc enim in omnibus rebus esse spectandum, et in eo prospiciendo alterum altero re vera sapientiorem esse.

Ita patet, e systemate sensualistico, quod condiderat PROTAGORAS, rite duci posse et finem, quem disciplina eius spectabat — is autem erat, ut homines informarentur ad rite prospiciendum et suis et civitatis commodis — [14]. et rationem, qua utebatur ad aliis persuadendum, quid esset utile, quid non esset. Hinc iure nobis videmur incripsisse hoc caput: de sophistis, quorum disciplina ad sensualismum absolutum pertinebat.

His ita breviter expositis de PROTAGORAE via, omnino necesse est ut videamus, quinam hanc sint scholam secuti, et quomodo hi mox deflexerint a genuina magistri disciplina.

PROTAGORAE discipuli memorantur ANTIMOERUS *Mendaeus*, EUATHLUS, ARCHAGORAS, THEODORUS *Cyrenaicus*. Quorum tamen omnium cum fere nomina tantum ad nos pervenerint [15], pluris faciendi sunt EUTHYDEMUS et DIONYSODORUS, quos revera *Protagoreos* fuisse demonstrare conatus est STALLBAUM [16]; sed idem, me iudice, immerito neglexit locum, ubi PLATO tamquam digito indicat, horum duumvirorum doctrinam pravam et absurdam manasse e PROTAGORAE placito de veritatis criterio. Est hic locus in *Cratylo*, p. 385 E sqq. — Postquam ibi HERMOGENES contenderat, nominum rectitudinem non esse naturâ, sed pacto (ὀρθότης ὀνομάτων φύσει et θέσει), SOCRATES memorat notum illud PROTAGORAE, πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, et cum HERMOGENES interrogatus, an sibi verum videretur illud, οἷα ἂν δοκῇ ἑκάστῳ τοιαῦτα καὶ εἶναι, negasset, ille statim: itaque multo minus, ait, verum tibi videbitur EUTHYDEMI notum illud placitum (Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατ' Εὐθύδημόν γε, οἶμαι, σοὶ δοκεῖ πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἅμα καὶ ἀεί). Istud igitur his dictis PLATONEM significare voluisse opinor: si respuis PROTAGORAE doctrinam,

---

13) Ibid. p. 181; cf. p. 122 sqq.
14) Ibid. p. 123 et in sqq. passim.
15) Ibid. p. 69.
16) Proll. ad PLAT. *Euthyd.* p. 11 sqq.

multo magis reiicies absurdum illud placitum, quod ex ea duxit EUTHYDEMUS. Et quam facile a Protagoreo praecepto, id quod singuli percipiant, iisdem (non aliis) eodem temporis articulo verum esse, perveniri possit ad EUTHYDEMI illud, id quod singuli sentiant, omnibus et semper verum esse, demonstrant aliquot ARISTOTELIS loci, quos in disquisitione mea laudavi, p. 108 sq., utrumque placitum inter se permutantis: Discrimen autem inter utriusque viri rationem rite perspexit PROCLUS[17], scribens: *ὅτι ἄλλο τὸ Πρωταγόρου δόγμα καὶ ἄλλο τὸ Εὐθυδήμου, τὸ μὲν γὰρ λέγει, ὅτι οὐδὲν ὂν τὸ ὑποκείμενον Φαντάζεται τοιὸν ἢ τοιὸν παρὰ τοῖς αἰσθανομένοις διὰ τὴν σύμμιξιν τοῦ ποιοῦντος καὶ πάσχοντος· τὸ δὲ τοῦ Εὐθυδήμου ἕκαστον ποιεῖ τὰ πάντα ὂν ἅμα καὶ ἀεὶ καὶ πάντα ἀληθεύειν.* Qui eas sententias inter se comparando non parum confert ad quaestionem dirimendam de EUTHYDEMO et DIONYSODORO Protagorae discipulis.

Vidimus, hos sophistas ita pervertisse magistri disciplinam, ut omnem disquisitionem philosopham sustulerint, eosque hoc unice spectasse, ut quaevis et vera et falsa defenderent, nec verum, nec utile curantes. Hinc PLATO cum PROTAGORAE sententias summa cura refutet in tribus dialogis — *Protagora*, *Theaeteto*, *Cratylo*, — non operae pretium duxit, tantum laboris impendere in eius discipulos, sed putavit se satis fecisse, si eorum nugas in lucem protraxisset, eosque ironia sua perstrinxisset; quod videmus eum fecisse in dialogo *Euthydemo*.

Nec mirandum est, philosophiam hancce Protagoream tam cito corruptam fuisse et interiisse; nam materialismus si ad summum fastigium evehitur, non satisfacit naturae humanae, sublimioribus animi facultatibus altiora petenti. Materialismus enim causam interitus sui in se ipse fovet, quod verissime exponit OPZOOMER V. Cl.[18], dicens: »Arbeidt men slechts met de drie eerste dezer bouwstoffen (zinnelijke gewaarwording, gevoel van lust en onlust, schoonheidsgevoel), zoodat men het zedelijk en godsdienstig gevoel ongebruikt laat, zoo komt men tot het materialisme, dat, zeer onschuldig ontstaân, zich spoe-

---

17) Ad PLAT. *Crat.* 386 D.

18) *Weg der Wetenschap*, p. 42 sqq.

dig tot een verderfelijke strekking heeft ontwikkeld. Zelfs de kunst kan het in haar hooger karakter niet begrijpen; de zedelijkheid beschouwt het als een ziekelijke dweeperij, daar immers eigenbelang het natuurlijke en regtmatige roersel van 's menschen daden is; en in de godsdienst ziet het eveneens niet slechts een hersenschim, een droom, die de mensch, om zich behagelijk te gevoelen, dus al weder uit eigenbelang, zoo gaarne droomt, maar zelfs inconsequent genoeg een verderfelijke inbeelding, waartegen het met alle magt te velde trekt." — Haec verissime esse disputata demonstrant fata materialismi superiore saeculo in *Franco-Gallia* et *Britannia* ad summum fastigium evecti.

DE PRODICO,

SIVE DE SOPHISTARUM SCHOLA MORALI.

PRODICUS *Ceus* hoc cum ceteris sophistis commune habet, quod non solum ipse res politicas tractavit [19], sed etiam professus est, se iuvenes docere artem politicam et oeconomicam [20]. Excellebat praeterea cum pulcherrimo dicendi genere, tum acutissime definiendo singulorum vocabulorum vim et synonymorum distinctionem [21].

At singularis eius ratio inter sophistas haec est, quod eum ubivis fere inveniamus utpote philosophum de rebus moralibus disserentem. Satis erit commemorasse notam illam fabulam de HERCULE in bivio apud XENOPHONTEM [22], orationem eius apud PSEUDO-PLATONEM in *Axiocho* de miseriis vitae humanae, apud eumdem in *Eryxia* de bonis vitae rite adhibendis, quae profert in PLATO-

19) PLATO *Hipp.* mai. p. 282 B; cf. PHILOSTR. in vita.
20) PLAT. *Rep.* X, 600. C.; *Hipp.* mai. l. l.
21) Vid. WELCKER l. l. p. 19; inprimis p. 559; cf. HUMMEL l. l. p. 57 sqq.
22) *Mem.* SOCR. II, 1, §. 21.

NIS *Protagora*, ubi a SOCRATE in auxilium vocatur contra PROTAGORAM[23]. — Ex his autem et e verbis PLATONIS[24] non sine iure colligit WELCKER[25], initia huius moralis apud sophistas disserendi rationis quaerenda esse apud SIMONIDEM.

Quatenus ipsa verba horum documentorum censenda sint ab ipso PRODICO ita dicta scriptave esse[26], minus ad quaestionem nostram pertinet; nam luculentissime ex iisdem patet, veteres saltem unanimo consensu existimasse, PRODICI declamationes versatas fuisse in argumentis ethicis[27].

Sophistae auditoribus in PLATONIS *Protagora* (315 C) interest PAUSANIAS, quem in eiusdem *Convivio* non aliena a PRODICI disciplina morali disputantem habemus. Celebrat enim ibi[28] summis laudibus alterum amorem, filium *Veneris Uraniae*, cum contemtu disserit de altero, filio *Veneris Vulgivagae*, disquirit porro, quatenus, cur et quando ille unice in civitatibus rite constitutis et excultis sit admittendus, quomodo tandem per eum homines excitentur ad virtutis et honestatis studium.

In eiusdem auditoribus recensetur etiam AGATHO[29], in cuius oratione in *Convivio* accuratae illae vocabulorum distinctiones apparent, quas PRODICUM inprimis observasse constat. Ut unum alterumve huius rei exemplum afferam, quis non videt artificiosum illud dicendi genus in his[30]: *τὸ μὲν μέγιστον, ὅτι Ἔρως οὔτ' ἀδικεῖ οὔτ' ἀδικεῖται, οὐθ' ὑπὸ θεοῦ οὔτε θεὸν, οὐθ' ὑπ' ἀνθρώπου οὔτε ἄνθρωπον, οὔτε γὰρ αὐτὸς βίᾳ πάσχει, εἴ τι πάσχει· βίᾳ γὰρ Ἔρωτος οὐχ ἅπτεται· οὔτε ποιῶν ποιεῖ.* — Quis non miratur in fine eiusdem orationis copiam illam praedicatorum, quae designant studia viri vim singulorum vocabulorum accuratissime distinguentis? Dicit enim de AMORE[31]:

---

23) PLAT. *Prot.* 340. E.

24) Ibid. 341. A: *ἡ Προδίκου σοφία θεία τις εἶναι πάλαι, ἤτοι ἀπὸ Σιμωνίδου ἀρξαμένη, ἢ καὶ ἔτι παλαιοτέρα.*

25) l. l. p. 536 sqq.

26) Vid. GEEL, l. l. p. 123; HUMMEL l. l. p. 32.

27) De variis hisce Prodici declamationibus fuse agit WELCKER l. l. p. 576 sqq.

28) l. l. p. 180 C. sqq.

29) PLAT. *Prot.* p. 315 C.

30) PLAT. *Conv.* p. 196. B.

31) Ibid. p. 197 D.

οὗτος δὲ ἡμᾶς ἀλλοτριότητος μὲν κενοῖ, οἰκειότητος δὲ πληροῖ, τὰς τοιάσδε ξυνόδους μετ' ἀλλήλων πάσας τιθεὶς ξυνιέναι, ἐν ἑορταῖς, ἐν χοροῖς, ἐν θυσίαις γιγνόμενος ἡγεμών· πρᾳότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ' ἐξορίζων· φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυσμενείας· ἵλεως ἀγαθοῖς, θεατὸς σοφοῖς, ἀγαστὸς θεοῖς· ζηλωτὸς ἀμοίροις, κτητὸς εὐμοίροις· τρυφῆς, ἀβρότητος, χλιδῆς, χαρίτων, ἱμέρου, πόθου πατήρ· ἐπιμελὴς ἀγαθῶν, ἀμελὴς κακῶν· ἐν πόνῳ, ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ, ἐν λόγῳ κυβερνήτης, ἐπιβάτης, παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος, ξυμπάντων τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων κόσμος, ἡγεμὼν κάλλιστος καὶ ἄριστος, ᾧ χρὴ ἕπεσθαι πάντ' ἄνδρα ἐφυμνοῦντα καλῶς, καλῆς ᾠδῆς μετέχοντα, ἣν ᾄδει θέλγων πάντων θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων νόημα. In eodem eloquentiae genere et alii non parum fructus tulerunt e PRODICI institutione, uti ISOCRATES, THUCYDIDES, CRITIAS, THERAMENES, ANTIPHON, alii, quos recenset WELCKERUS l. l. p. 567 sqq.

At magis nostra h. l. interest quaestio de SOCRATE PRODICI discipulo. Locos veterum hac de re collegit WELCKER [32], recte ex iis colligens, vix in dubium vocari posse, SOCRATEM magnam utilitatem percepisse cum e sophistae disciplina ethica, tum ex eiusdem studiis grammaticis [34]. Res verisimilior fit reputantibus, PRODICUM non aeque acerbe ac ceteros sophistas propter doctrinam suam moralem a SOCRATIS discipulis XENOPHONTE et PLATONE perstringi; nec aliquem fugiet SOCRATEM inprimis apud XENOPHONTEM identidem de iisdem fere argumentis disputantem induci, quae PRODICUM et ipsum tractavisse supra vidimus.

Itaque patet, hanc scholam, quantum scimus, non tulisse sophistas proprie ita dictos, sed magnam vim exercuisse cum in artem bene dicendi scribendique, tum in SOCRATEM, *Atheniensium* virtutis institutorem. Et argumenta certe, quae PRODICUS tractare solebat, minus cum arte sophistica congruebant, quippe quae magis valerent ad hominum animos ad res divinas vertendos, quam ad mentis acumen argutis illis vocabulorum distinctionibus excolendum.

---

32) l. l. p. 10 sq. Cf. HUMMEL l. l. p. 24.
33) Vid. PLAT. *Meno* p. 93 D.
34) Vid. PLAT. *Charm.* p. 163 D, *Hipp. mai.* 282 C. Cf. *Men.* 75 E.

DE HIPPIA,

SIVE DE SOPHISTARUM SCHOLA PHYSICA.

Nemo inter sophistas tam acerbe a PLATONE perstringitur, quam HIPPIAS [35]; cuius rei causa sine dubio quaerenda est in viri vanitate et haud tolerabili sui gloriatione.

Ut ceteri sophistae, tractabat res politicas [36] et profitebatur se auditores suos ad virtutem instituere [37], et de quacumque re apte disserere posse [38], at praecipua eius doctrina versabatur in rebus physicis. Astronomiam, geometriam, arithmeticam, litterarum syllabarumque, harmoniae et rythmi leges memoratas vidimus inter disciplinas, quas docebat [39]; quin eam dexteritatem et manuum subtilitatem studiis hisce physicis sibi comparaverat, ut aliquando in ludis *Olympicis* prodiret, omnia vestimenta et ornamenta, quibus indutus esset, suis se manibus confecisse gloriatus [40]. — Hinc eius rationem in arte sophistica insignivimus nomine scholae physico-sophisticae.

Quare inter innumeros, quos certo habuit auditores sophista, at quorum paucorum tantum nomina memorantur, offendimus ERYXIMACHUM, ACUMENI filium, *medicum* celeberrimum [41]; quem apparet ex oratione, quam in PLATONIS *Convivio* (p. 186 sqq.) habet, HIPPIA duce accuratam rerum physicarum notitiam sibi comparasse. Cum enim PAUSANIAS disseruisset de duplici amore [42] ille idem argumentum transfert ad res physicas; idque non solum, utpote medicus, ad corporis constitutionem, sed etiam

---

35) Vid. passim uterque PLATONIS *Hippias*.
36) *Hipp. mai.* init.
37) Ib. 283 C sq.
38) *Hipp. min.* 368 A.
39) *Hipp. mai.* 285 C. *Prot.* 315 C.
40) *Hipp. min.* 368 A.
41) PLAT. *Prot.* 315 C.
42) Vid. sup. p. 230.

ad agriculturam, musicam (186 E), harmoniam et rythmum (187 B sq.), anni tempora, aëris conditionem (188 A sq.), quae omnia minime aliena esse a studiis, quibus HIPPIAS inprimis operam navare solebat, indicasse sufficiet.

PHAEDRUS, alter eiusdem in *Protagora* auditor, in *Convivio* (p. 178 A sqq.) amoris laudes praedicaturus, statim quidem de origine mundi disputare incipit, at et in hac oratione et inprimis in cognomine dialogo tamquam *φιλολόγος* et oratorum auditor potius repraesentatur, quam sophistae assecla.

Ceterum, ut iam monuimus, de discipulis HIPPIAE proprie ita dictis nulla fit mentio; ita ut sophista censendus sit potius publicas declamationes habuisse, quam privatim instituisse. Quod fortasse magna ex parte tribuendum ei, quod non fixam sibi sedem elegisse, sed varias continuo regiones circumiisse videtur; ita eum invenimus et in *Sicilia* [43], et in *Laconica* [44], et *Olympiae* [45], rarius vero *Athenis* [46]; quibus peregrinationibus continuis facile accidere potuit, ut non ea ratione privatos sibi discipulos acquisiverit, qua ceteri sophistae, qui diutius in singulis locis, *Athenis* saltem, scholas habere solebant.

DE GORGIA,

SIVE DE SOPHISTARUM SCHOLA *κατ' ἐξοχήν* POLITICO-RHETORICA.

Si fides esset habenda iis, quae GORGIAM de se ipso habemus dicentem [47], annumerandus esset non sophistis, sed oratoribus; respuebat enim nomen sophistae, sed sese rhetorem esse

43) *Hipp. mai.* 282.
44) Ibid. 281 B, 283 C.
45) *Hipp. min.* 368 A.
46) *Hipp. mai.* 281 B; XENOPH. *Mem.* IV. 4, 5.
47) Vid. PLAT. *Gorg.* 449 A. C; 455 C.

gloriabatur. At e vocabulis non semper ipsam rerum naturam diiudicari posse, omnium luculentissime GORGIAE exemplum demonstrat; nam apud neminem sophistarum tam diserte totius generis notas communes invenimus, quam apud illum. Contendebat enim GORGIAS se rhetoricam docere [48], cuius vis, ex eius sententia, cernitur in hominibus persuadendo et in iudiciis et in ceteris concionibus, cuiusque finis is erat, ut ita ipsi liberi fiamus et civibus nostris imperemus [49]. At vel sic tamen diserte negabat se ut alios sophistas esse virtutis doctorem; qua in re omnino tenenda est vis, quam quis illi vocabulo tribuat; si id munus in *Menone* [50] a GORGIA alienum esse dicitur, idem certe de PROTAGORA affirmandum foret, quippe qui dicens, se utpote sophistam homines ad virtutem instituere, huic vocabulo longe alium sensum tribueret, atque in *Menone* factum videmus; ponebat enim hic virtutem unice in arte politica et oeconomica [51]. Habemus igitur apud GORGIAM et ceteros sophistas discrimen unice nominum, minime rerum.

Nec minus in dialectica versatus fuit sophista, quam in rhetorica. Hinc inprimis ei placuisse videntur acuta illa sophismata MELISSI et ZENONIS, quibus disputare solebant περὶ τοῦ ὄντος et μὴ ὄντος, de uno et multitudine, aliis; invenimus enim apud SEXTUM EMPIRICUM [52] et ARISTOTELEM [53] eiusmodi ratiocinia, quibus et illi utebantur; e quibus tamen, si quid video, minime colligere licet, sophistam propriam et genuinam sibi habuisse philosophiam; neque id contendit ARISTOTELES, qui GORGIAE argumenta de quaestionibus modo memoratis tractans, identidem eiusmodi cautionem addit: τὰ μὲν ὡς Μέλισσος, τὰ δὲ ὡς Ζήνων ἐπιχειρεῖ δεικνύειν [54] —

---

48) PLAT. *Gorg.* 449 B. D; 455 C, 458 E.

49) Ibid. 452 D sq., 454 B, 455 D, 456 A sqq.; *Phileb.* 58 A.

50) Vide ibi e. g. p. 95 C.

51) Vid. disqu. mea. Ad hanc diversam interpretationem eiusdem vocabuli a SOCRATE et PROTAGORA referri debet etiam tota illa quaestio in dialogo PROTAGORAE de virtute, possitne doceri necne.

52) Adv. math. VII, 149.

53) Seu potius PSEUDO-ARISTOTELEM in libello περὶ Μελίσσου, Ζήνωνος et Γοργίου.

54) l. l. c. 4.

Καὶ εἰ μὲν ἀγέννητον, ἄπειρον αὐτὸ τοῖς τοῦ Μελίσσου ἀξιώμασι λαμβάνει, — δέον οὐδὲ εἶναι κατὰ τὸν Ζήνωνος λόγον περὶ τῆς χώρας [55]. — Ex his igitur omnino patet, sophistam non sibi philosophandi rationem constituisse, sed diligenter posteriorum illorum; *Eleaticorum* dialecticam, fortasse exercitationis causa, arripuisse. Quod iudicium confirmatur inscriptione libri, quo haec sophismata tractavit, quam narrat SEXTUS l. l. fuisse περὶ τοῦ ὄντος ἢ περὶ φύσεως. Posteriorem partem huius tituli mutuatus est ab *Eleaticis*, qui fere suos libros hoc nomine insignire solebant. Priore autem inscriptione significavit, se in hoc libro id egisse, ut illam in utramque partem disputationem ad summum fastigium evehat, ita ut omnibus omnino existentia denegetur, id quod *Germani* dicunt *die vernichtende Dialektik.* Hoc deinde ipsius libri argumento breviter enarrato idem SEXTUS docet. Liber igitur argumenti fuit minus philosophici quam dialectici.

Itaque cum GORGIAE disciplina mere politico-rhetorica fuisse dici possit, non mirum est, eum magis etiam quam ceteros sophistas inclaruisse, atque plurimos eum secutos esse discipulos.

Huius autem scholae ingenium eiusque inter sophistae asseclas degenerationem nobis vividis coloribus depinxit PLATO in dialogo *Gorgia.* Agit ibi philosophus de arte rhetorica rite adhibenda ad civitatis administrationem et ad hominum vitam communem. — Postquam GORGIAS hac de re sententiam suam enuntiavit [56], partes dicendi suscipiunt huius discipuli POLUS et CALLICLES, quorum singuli tamquam gradus constituunt, quibus magistri disciplina magis magisque pervertitur. Hoc rite perspexit OLYMPIODORUS [57] dicens: ὁ μὲν Γοργίας, ὡς ἐπιεικής, τὸ δίκαιον καὶ ἀγαθὸν καὶ καλὸν λέγει· ὁ δὲ Πῶλος καλὸν μέν, οὐ μὴν ἀγαθόν. ὁ δὲ Καλλικλῆς καταφιλήδονον [58] τὸ ἑαυτοῦ ζῶν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε καλὸν αὐτὸ λέγει. Et deinde [59]: ἰστέον οὖν ὅτι ὁ μὲν Γορ-

---

55) l. l. c. 4.

56) Vid. sup. p. 234.

57) Comment. ad PLAT. *Gorg.*, ed. A. JAHNIUS in diario JAHN'S *Jahrb. für Phil.* suppl. XIV, p. 47.

58) Leg. κατὰ τὸ φιλήδονον.

59) l. l. p. 51.

γίας, ὡς πρὸς τῷ τέλει ὤν, τά γ' ἐπὶ τῆς ῥητορικῆς λαμβάνει. λέγει γὰρ καὶ ἀγαθὸν τὸν ῥήτορα· οὕτω γοῦν εἶπε περὶ ἑαυτοῦ, ὅτι Ἀγαθός εἰμι ῥήτωρ· καὶ τὴν δύναμιν, ἔφη γάρ, ὅτι δύναται ἀδικῆσαι. καὶ τὴν γνῶσιν δέ, ἔφη γάρ, ὅτι ὁ ῥήτωρ ἐπιστήμων ἐστὶ τῶν δικαίων. Ὁ δὲ Πῶλος ἀτελέστερος τῷ μὲν ἀγαθῷ καὶ τῇ δυνάμει τίθεται, τῇ δὲ ἐπιστήμῃ οὔ. Ὁ δὲ Καλλικλῆς, τῷ ἀγαθῷ μόνῳ τίθεται, κατὰ τὸ φιλήδονον τὸ ἑαυτοῦ, νομίζων πᾶν ἀγαθὸν ἡδονὴν εἶναι καὶ πᾶσαν ἡδονὴν ἀγαθόν. Ut igitur PROTAGORAE discipulos EUTHYDEMUM et DIONYSODORUM magistri doctrina de sensuum perceptione ad turpissimum dialecticae genus condendum abusos esse vidimus, ita hic quoque discipulos GORGIAE huius sententiam de rhetorica deque eius usu in iusto et iniusto (praecipuo argumento artis politicae [60]), pervertisse cognovimus.

Idem animadvertendum de THRASYMACHO, cuius sententia *τὸν τοῦ ἀδίκου βίον εἶναι κρείττω ἢ τὸν τοῦ δικαίου* [61], non multum recedit ab iis, quae disputat POLUS in *Gorgia*, p. 473 A sqq., et cuius illud *δίκαιον εἶναι τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον* [62] consequens est iis, quae in *Gorgia* [63] disputat CALLICLES, nimirum, *τὸ δίκαιον φύσει* esse, ut fortiores agant, quicquid sibi placeat, *τὸ δίκαιον νόμῳ* vero institutum esse ab infirmioribus, ut sese tueantur contra fortiorum violentiam. Hinc Cl. GEEL [64] merito THRASYMACHUM annumerat GORGIAE discipulis, quam opinionem confirmat OLYMPIODORUS [65], ita iterum de variis gradibus, qui in GORGIAE schola conspicui sint, disputans: *ὁ μὲν γὰρ Σωκράτης λέγει τὰ δίκαια (εἶναι τὰ ὠφέλιμα), ὁ δὲ Πῶλος τὰ ἄδικα· καὶ γὰρ ἄλλος ἄλλο οἴεται τὸ ὠφέλιμον· ὁ μὲν γὰρ καθ' ἡδονὴν ζῶν, ὡς ὁ Καλλικλῆς, τὸ ἡδὺ λέγει ὠφέλιμον· ὁ δὲ κατὰ τὸ ἄδικον, ὡς ὁ Πῶλος, τὴν ἀδικίαν· ὁ δὲ κατὰ τὴν ἀναίδειαν, ταύτην, ὡς ὁ Θρασύμαχος.*

Alium GORGIAE discipulum habemus MENONEM [66], cuius sen-

---

60) GORG. p. 454 B.
61) PLAT. *Rep.* I, p. 347 E.
62) Ib. p. 338 C.
63) p. 482 E. sqq.
64) l. l.
65) l. l. p. 78.
66) PLAT. *Men.* 70 B, 71 C, 96 D, 73 D.

tentia de virtute, eam esse εὐλάβειαν in rebus civilibus et artem hominibus imperandi[67], plane congruit cum iis, quae de CALLICLE in *Gorgia* audivimus. Ceteroquin non opus est de MENONE amplius disputare, quippe quem, cum fuerit vir nobilis et ditissimus, numquam munus sophistae exercuisse verisimile sit.

Praeterea GORGIAE doctrinam de usu artis rhetoricae, de iusto et de civitate administranda, ingentes progressus fecisse inter cives *Athenienses*, non est quod indicemus; ipsa historia, *Athenarum* interitus, satis superque docuere.

Haec sunt pauca, quae nobis de sophistarum disciplina animadvertenda esse videbantur. Nam non eo consilio scripsimus, ut accurate in singulorum eorum vitae fata et studia investigemus, cum hoc unice nobis propositum fuerit, ut principia indicemus, a quibus cetera eorum placita pendeant. His enim inventis tota res sophistica systematice tractari potest, et confusio illa tollitur, quam in ea parte historiae philosophiae ad hunc usque diem obtinuisse supra monuimus.

Scripsi *Groningae* a. d. IV *Cal. Martias* 1855. A. I. VITRINGA.

67) Ib. 71 C, 73 C.

BLADVULLING.

PLUTARCH. *Phocion.* 37.

Ἦν δὲ ἡμέρα μηνὸς Μουνυχιῶνος ἐνάτη ἐπὶ δέκα, καὶ τῷ Διῒ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν. »Haud dubie PLUTARCHUS intelligit Διάσια, festum IOVIS MEILICHII illo die celebratum cet. »zegt KRANER in zijne uitgave van dit leven van PLUTARCHUS, en dit is, zoover ik weet, vrij algemeen aangenomen; vgl. verder de door hem aangehaalde schrijvers. Hij bewijst het evenwel niet, en kan dit ook moeijelijk, daar geen der